Generare ſibi ſimile eſt opus naturaliſsimum.

MVtua vita data eſt tibi, mutua danda viciſſim:
Et tradenda, tibi, non retinenda data eſt.
Quorſum cunctaris naturæ merſus in ære,
Viſq; eius tardum nomen ineſſe libro:
Quin potius veterem properes expungere ſummam.
Quamq; bonâ poteris debita ſolue fide.
Aſpicis arcanam præeant tibi vt omnia legem,
Proq; ſuo cenſu quodq; tributa ferat.
Hic pennata cohors concentibus aera mulcens,
Suſpendit graciles arbore fœta lares.
Hic vrſos natura domat, toruoſq; leones,
Vt blandi thalamos, coniugiumq; colant.
Illic mellifluam ferorum cura nepotum
Dum leuis inſultat floribus, vrget apem:
Squammigerumq; gregem pinnis qui diuidit vndas,
Sollicitat charæ poſteritatis amor.
Certatim quâcunq; datur, ſe cuncta propagant,
Illa licet nullo fota calore vigent.
Sic licet effœtum, fundit ſeſe vndiq; quantum,
Pingens exuviis aera quâq; ſuis.

Ergo, cùm cuiuſq; rei natura ſit eſſe,
Ille ex naturâ qui facit eſſe, facit.

Anima ſicca eſt ſapientiſsim

QVid tibi cum Muſis Bœoti ruris alumne?
Quid ſui amaracinum? mucoſis naris obeſæ
Hortus Pieridum ſacros non ſpirat odores:
Emunctis gaudet, purgatas perſonat aures
Phœbus, queis tenues finxerunt pectus Athenæ,
Queis cor limavit, ſacro & ſimul imbuit igne
Pallas, queis terſum defæcatumq; cerebrum,
Inſipidi fungi, blenni, fatuæq; mariſcæ,
Et queiſcunq; animum circumfluus humor opaci
Ad Fatuæ faciant: iſtos ſapientia templo
Exigit auguſto procul, Anticyraſq; relegat.
Comitèr at blandis trahit ad ſua templa Vacuna
Nutibus, & fidos Baccho ſomnoq; clientes
Tradens, Circæis deformat pectora ſuccis,
Datq; Epicuræum grunnire Elpenora porcum.
Exundans ſanguis ſulcos oblimat inertes
Mentis, et obſeſſum denſâ caligine pectus,
Immergit Lethæ, nubes hinc craſſa cerebrum
Conſtipat, noſtrum præterexit & invida ſolem.
Ingenuas animi natiuâ luce micantes
Scintillas, cœli ſobolem, noſtræq; maritam
Terræ, mole pigrâ reſtagnans obruit humor.
At cos ingenii, rationis lima, caloris
Hoſpitium, lucis ſpeculum, penetralia mentis
Sicca cluit bilis, quam tinxerit accola ſanguis,
Inſanit madidus, ſ breuis eſt inſania vulgo
Ebrietas) ſiccus ſemper ſibi conſtat ad vnguem
Sicca ſenecta ſapit, madet atq; infantia bruta.

Ergo

Dia animis ſedem figit ſapientia ſiccis.